


D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.



UÆ in orbe constituendo supremum naturæ conditorem prædicat sapientia, eadem & ipsum in efformando homine celebrat. Omissâ enim animæ præstantiâ, quæ oculos fugit & captum, argumento est eximia corporis fabrica, quæ partes intuenti exhibet miro quodam artificio sic conciliatas, ut aliæ aliis, quasi famulanter inserviant. Imposito nimirùm sibi munere quàm necessariò, tam obsequenter funguntur mutuo singularum erga se invicem officio, ut ipsummet Deum præ se sentias. De omnibus hìc loci differere vanum sit : quapropter,

cùm colli femoris fractura nobis ſit exponenda, primam duntaxat extrémitatis inferioris partem explorabimus.

II.

FEMUR itaque, os totius corporis ut longè craſſiſſimum, ſic & maximum, triplici modo ſpectari debet. In eo quippè obſervantur corpus & extremitates quarum alia ſuperior, alia verò inferior nuncupatur. Circa utramque plurima occurrunt expendenda.

III.

QUONIAM autem ſuperior ad propoſitum noſtrum præſertim conducit, in ipsâ quoque potiſſimùm immorabimur. Haud levem reſponſionibus anſam præbent articulatio cum oſſibus adjacentibus, partes tùm eminentes, tùm depreſſæ, vulgò excavatæ, cartilagines, glandulæ ſinoviales, ligamenta, vaſa denique & muſculi.

IV.

IIS porrò omiſſis quæ ad cæterarum femoris partium ſolutiones attinent, de ejuſdem colli fracturâ dicemus.

V.

TRIFARIAM dividitur iſtud collum. Hinc triplici in parte diffringi poteſt, mediâ ſcilicet, & extremis. Præterea obſervatu non indignum eſt quòd, ſi epiphiſis remanſerit femoris caput, (illud autem in adultis haud rarò contingere experientiâ teſte compertum planè eſt) tunc fieri queat caput inter & collum diſjunctio; qui quidem morbus reglutinationis nomine vulgò deſignatus, fracturæ inſtar conſiderari ſolet, imò & curari.

VI.

QUÆ cæterorum humani corporis oſſium fracturam procreant, eaſdem etiam cauſas colli femoris diſruptioni locum dare nemo neſcit.

VII.

SIGNA verò femoris luxationem & ipsius colli fracturam, aut à capite disjunctionem denotantia non ita facilè in obesis præsertim à se invicem secernuntur; undè difficilis admodùm diagnosis. In ultimo tamen casu, si partes disjunctionem perpessæ à se-met leviter amoventur, & dehinc simul fricantur, tunc existit mollis quidam ac peculiaris earumdem partium strepitus, non nisi à peritissimo Chirurgo discernendus, morbique speciem procul dubio designans.

VIII.

PESSIMA est hujus-ce modi fracturæ prognosis. Quantacumque enim sit Chirurgi sagacitas, qualesve cautelas adhibeat, plurima, nec-non gravissima impendent accidentia difficili præcavenda negotio, difficiliori extirpanda, ad hæc enim remanet ferè semper in posterùm claudicatio.*

IX.

COGNITIS fracturæ causis, exploratâ sedulò diagnosi, institutâque prognosi, omni ope atque operâ curationem aggredi decet. Hæc autem in eo sita est ut fragmenta pristinas in sedes non reducantur tantùm, sed ibi quoque retineantur.

X.

PRIMÒ *quidem idoneus ægroto situs est conciliandus; tunc* adhibendæ sunt extensiones & contra-extensiones. Quoniam verò si robustior fuerit homo fracturâ laborans, maxima vis ad extendendum ac retinendum requiritur, insufficientibus haud rarò manibus alia occurrunt media, habenæ scilicet, mantilia, fasciæ, imò & pro re natâ Hildani lorum ab Heistero commendatum.

XI.

FAVENTIBUS hisce instrumentis partes fractæ in diversa distrahuntur, obtinentque necessarium extensionis gradum, eo prorsùs tempore Chirurgus fragmenta in sedem reponit naturalem, ac fasciarum, & sitûs ope retinet.

* Nuper tamen hujus-ce actûs Præses clarissimus femoris colli fracturam sine claudicatione felici cum successu restauravit.

XII.

Hæc ubi demùm ex artis præſcripto ritè peracta fuerint, accidentia antevertere perutile eſt, & præſentia, ſi quæ ſunt, congruentibus remediis extemplò debellare.

Has Theſes, Deo Juvante, & præſide M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magiſtro, *tueri conabitur* Laurentius Herardin, *Calvomontienſis, Artium Liberalium Magiſter.*

de chaumont en bassigni

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die 13ª Septembris anno ſalutis 1755. à ſeſquiſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis Delaguette, Collegii & Academiæ Regiæ Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobeâ, ſub ſigno Olivæ.